



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Principium hoc non esse contra mysterium Trinitatis, variè defendunt
Scholastici. cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

in sui ratione includit distinctionem. Vnde oportet, quod in Deo sit realis distinctio, non quidem secundum rem absolutam, quæ est essentia, in qua est summa unitas, & simplicitas, sed secundum rem relatiuam.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Philosophum in 3. Phisic. argumentum illud tenet, quod quæcumque vni, & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem, in his, quæ sunt idem re, & ratione, sicut tunica, & indumentum: non autem in his quæ differunt ratione. Vnde ibidem dicit, quod licet actio sit idem motui, similiter, & passio, non tamen sequitur, quod actio, & passio sint idem: quia in actione importatur respectus, vt à quo est motus in mobili: in passione vero, vt qui est ab alio. Et similiter licet paternitas sit idem secundum rem cum essentia diuina, & similiter filiatio, tamen hæc duo in suis proprijs rationibus important oppositos respectus. Vnde distinguuntur ab inuicem.

Ad secundum dicendum, quod potentia, & bonitas non important in suis rationibus aliquam oppositionem. Vnde non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod quamuis relationes, propriè loquendo non oriuntur, vel procedant ab inuicem, tamen accipiuntur per oppositum secundum processionem alicuius ab alio.

Explicatio, & confirmatio doctrine art.

Conclusio articuli est. In Deo est realis distinctio, non secundum rem absolutam, que simplicissima est, sed secundum relationem. Est autem de fide 3. in c. firmis, de summa Trinitate, & fide Catholica nam dicitur, Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, secundum proprietates personales discretas, sunt autem in omnium sententia proprietates personales relationes. Et in Concilio Toletano in confessione fidei dicitur, Hæc ergo S. Trinitas, que vnus etiam verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero, in relatione enim personarum numerus certatur, in diuinitate vero substantia, quod enoueratam sit, non comprehenditur, ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt. Ideò Boeth. libro de Trinitate circa finem, substantia (ait) continet unitatem, sed relatio multiplicat Trinitatem. Hinc etiam commune illud axiomata Theologorum desumptum ex Anselmo, vt infra disput. 147. cap. 4. referemus ortum habuit, in diuinis omnia sunt vnus, vbi non obuiat relationis oppositio.

Sed obseruandum est cum Caietano in hoc articulo, S. Thomã indefinitè quæsiisse, vt cum relationes in Deo realiter distinguantur, & in fine respondisse, realiter distingui; hoc est, aliquas illarum realiter distingui: Nam spiratio actiua à paternitate, & filiatio non distinguuntur realiter, atqui S. Thomas, solum insinuat distinctionem realem inter relationes oppositas, omnes autem

non opponuntur inuicem.

Cæterum, vt probet suam conclusionem, assumit in ratione hanc propositionem: Quoties aliquid attribuitur alicui, attribuitur omnia, quæ sunt de ratione illius. Obijcit autem Caietan. in hunc modum. Deo attribuitur sapientia, de cuius ratione est esse formam accidentariam, & tamen Deo non attribuitur sub hac ratione; ergo similiter quamuis Deo attribuitur relatio, non est necesse vt tribuatur id, quod est de ratione illius, nempe oppositio relatiua. Respondet de ratione sapientie non esse, quod sit forma accidentaria, sicut est de ratione relationis oppositio. Quæ solutio si rectè intelligatur optima est; nam si consideretur sapientia secundum totam suam communitatem & analogiam, vt complectitur creatum, & increatum, de ratione illius non est, esse formam; quare, si Deo attribuitur, non sequitur, tribuendam esse sub ea ratione, qua est forma accidentaria, sed altiori ratione. At de ratione relationis, quantum vniversè consideretur, est oppositio relatiua, hoc est, ipsam necessariò semper consequitur oppositio: si ergo Deo tribuitur relatio, necessariò etiam oppositio relatiua debet conuenire.

Obijcit dinde: Vni albedini conuenit relatio similitudinis ad aliam, & tamen ipsi intra se non conuenit oppositio relatiua, sed vni conuenit respectu alterius extra se ipsam, ergo satis est, si dicamus Deo conuenire oppositionem relatiuam, sed respectu alterius extra ipsum; Respondet bene Caietanus, omni relationi, quæ habet rationem in alio extremo, semper conuenire oppositionem relatiuam respectu alterius: Deo autem, quia conuenit relatio inter seipsum, quia inter se aliam personam producit, conuenit oppositio relatiua intra se ipsum, & ideò relationes aliquæ ipsi intrinsecè inuicem opponuntur, & distinguuntur realiter. Et hæc circa textum articuli.

Obiectio Caiet. contra conclusionem rationem.

34.

Secunda Caietan. obiectio.

Vera eiusdem solutio.

DISPUTATIO CXXII.

Quomodo mysterium Trinitatis non aduertetur illi principio, quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se.

Principium hoc non esse contra mysterium Trinitatis, variè defendunt Scholastici, cap. 1.

Vera expositio prædictæ propositionis non opponitur mysterio Trinitatis, cap. 2.

Formam syllogisticam, vt à Logico assignatur, non minus in diuinis, quam in humanis legitimam esse, cap. 3.

CAPVT I.

Principium hoc non esse contra mysterium Trinitatis variè defendunt Scholasti.

Cum fidei nostræ mysteria ita sint super caput naturalis intelligentiæ, vt tamen rationi naturali non aduertentur; fatentur omnes Scholastici principium illud commune, & satitritum, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, mysterio Trinitatis non opponi. Cum tamen videamus, tres esse personas realiter distinctas, quas non distingui ab essentia ex natura rei, probauimus disput. 120. atque aded in hoc mysterio Trinitatis relationes, & personæ sunt idem cum essentia, quæ tamen non sunt idem inter se, varijs modis Scholastici conantur ostendere, rationi naturali, & veræ Philosophiæ principijs mysterium hoc non aduertari.

i. In quo conueniunt omnes.

Et



Durandi sententia ex fundamento falso rejicitur.
Et primo quidem Durandus in 1. d. 2. q. 4. facit ab hac difficultate se expedit, cum enim concedat, ut vidimus disput. 110. cap. 3. relationes distinguat realiter ab essentia, recte cum illo principio consistere potest eius sententia, sic enim non erit verum, tres personas divinas esse idem vni tertio, scilicet essentia. Verum cum hac sententia sit data, ut ibi ostendimus contra Gilbertum, non potest hac via salvari principium illud.

Scoti sententia.
2.

Secundò Scotus in 1. d. 2. q. 4. in ordine ad primum principale sic respondet, cum relationes, & personarum distinguantur ab essentia, saltem formaliter ex natura rei, colligi non potest, inter se quod esse idem formaliter, quia non sunt idem formaliter vni tertio. Quod si aliquis instet (inquit ille) & contendant inferre, relationes esse idem realiter inter se, licet non formaliter, quia saltem realiter dicuntur esse idem cum essentia, respondendum est hoc modo: Relationes divinarum, quatenus sunt idem cum essentia divina, non sunt idem in aliquo personali, & in aliqua subsistentia, sed in essentia tantum; unde non sequitur, eas inter se habere identitatem substantia, sed solum essentia, in qua vniuntur, & cum qua sunt idem, ac proinde solum inferitur, esse idem realiter non omnino, sed essentialiter solum. Intelligit ergo principium illud hoc modo quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, eadem ratione, quæ cum illo tertio sunt idem, non alio modo. Eandem solutionem adhibent prædictæ difficultati, Capreol. in d. 1. d. 2. q. 3. art. 1. in fine, Caietanus in hoc art. si attente legatur, Ferrar. cont. gentes, cap. 9. in principio.

Capreol. Canarienf. Ferrar. Rejicitur.

Hæc tamen expositio illius principij inutilis videtur: perinde enim est, ac si dicamus, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem in illo, hoc est, in illo vniuntur, hoc autem quis ignoret? Nam si supponimus esse eadem vni tertio, eadem sine dubio sunt illi, & in illo; at prædictum principium aliud significat, colligit enim ex eo, quod aliqua sunt eadem vni tertio, illa inter se esse eadem eodem modo: hoc est, si formaliter sunt eadem vni tertio, esse inter se formaliter: si realiter sunt idem, esse quoque inter realiter idem. Quod si principium illud esset fundamentum formæ syllogisticae, non solum deberemus inferre, illa duo, quæ sunt eadem vni tertio esse eadem prout in illo vniuntur, sed etiam esse eadem inter se; quia duæ extremitates, quæ in præmissis comparatæ cum vno medio, sunt eadem cum illo, deinde in conclusione inter se comparantur, & inferuntur, ut eadem inter se.

3.

Capreol. interpretatio respellitur.

Tertio idem Capreolus loco citato respondet, principium illud intelligendum esse, quando duo idem sunt eadem inter se: ut relationes divinarum non sunt idem cum essentia adæquate, quia essentia est, quid commune. Verum hæc interpretatio mihi non probatur, quoniam si ea esset vera, principium illud solum haberet locum in definitione, inductio, & in ijs, quæ synonyma sunt, quare in creatis non rectè inferremus, actionem & passionem esse idem realiter inter se, quia sunt idem realiter vni motui. Quod si principium hoc ponitur à Capreolo fundamentum syllogismorum, non solum debet illud admittere in ijs, quæ sunt idem adæquate vni tertio, sed in pleribus etiam alijs, ut manifestum est.

S. Thom.

Quartò S. Thom. in hoc art. in solut. primi pu-

rat. propositionem illam solum habere locum in synonymis, quæ omnino sunt idem re, & ratione vni tertio, id quod existimat esse secundum veritate Arist. nam 3. Physic. text. 21. docet actionem, & passionem differre, etiam si sunt idem cum eodem motu. Idem docuit cum S. Thom. Ganaticul. hunc articulum. Sed contra hæc, interpretationem in primis est idem S. Doctor, qui 2. contra gentes, cap. 9. co. probat, potentiam Dei, & eius operationem esse idem secundum rem, quod sunt idem cum essentia, atqui operatio Dei, & potentia eius ratione differunt, & synonyma non sunt, ut colligitur ex dictis disput. 118. cap. 4. Ferrar. eodem cap. 4. defendere conatur S. Thom. & à contradictione hoc modo iudicare, ut intelligantur aliqua esse eadem vni tertio, non solum quando synonyma sunt, sed etiam quando sunt eadem vni tertio secundum rem, & non differunt ab eo distinctione rationis, quæ habeat fundamentum in re, cuiusmodi inquit esse potentiam, & actionem in Deo: aut si aliqua differunt ab illo tertio secundum rationem quæ habeat fundamentum in re, etiam si sunt idem realiter cum eo non sequitur esse idem inter se, & ratione.

Ego tamen non video, quomodo sic possit S. Thom. conciliari, primum nam cum hic plane asserat, propositionem esse intelligendam in synonymis, aperte excludit omnia illa, quæ synonyma non sunt: huiusmodi autem sunt potentia, & operatio; nam, quod hæc distinguantur abque alio fundamento in re, sed solum in nostro modo cognoscendi, parum refert, quia nihilominus synonyma non sunt. Tum Aristot. Physic. quem in solutione primi allegat S. Thomas, non probat, ex illa propositione actionem, & passionem inter se ratione differre, quia non sunt eadem vni tertio, nempe motui, re & ratione: solum aliter, nihil obstat, quo minus actio, & passio ratione differant, quod re ipsa sunt idem motus. Quare, & ut ex identitate duorum cum aliquo tertio secundum rem inferatur identitas eorum inter se secundum rem, non dixit Aristoteles necesse esse, illa duo idem esse cum tertio re, & ratione postquam asserere necessariam esse identitatem duorum cum tertio re & ratione, ut sequeretur identitas eorum inter se re, & ratione, tamen, ut sequatur identitas realis, non videtur utraque illa identitas cum tertio necessariam rebus creatis, & naturalibus, quæ Aristoteles solum cognovit. Ad hæc, si solum illa propositio accipienda esset in synonymis, videtur inanis, & nullius momenti: quis enim intellet probatione, ut ostendat, gladium, & enslem esse idem inter se? Aristoteles vero 7. lib. Topologicorum, cap. 1. loco 4. dicit esse locum communem, ut probemus, quæ sint eadem inter se: qui locum duo procul, non ad probandum synonyma esse idem inter se; sed ad alia difficiliora seruire debet. Verba Aristotelis sunt: *Rursum considerandum, si unum alterum idem, & alterum; nam si non sunt ambo eadem, manifestum est, nec sibi inuicem, cumque in rebus omnibus creatis verum sit, semper esse secundum rem ea, quæ sunt eadem vni tertio, & rursus esse eadem prædicatione inter se, quæ prædicantur de aliquo tertio, non est opus, ita illarum propositionem, sed eam plane explicare, in quibus rebus locum habeat.*

Capit.